



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Rosa In Hieme**

**Mertz, Martin**

**Antverpiæ, 1627**

Capvt I. Angelus VWilhelmo apparens mortem prænuntiat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42750**

VITÆ  
WILHELMI  
ROTHENSIS  
LIBER TERTIVS.

## CAPVT I.

*Angelus VVILHELMO apparens mortem prænuntiat.*



POSTQVAM ergo suprâ explicata ratione VVILHELMVS vix alterum annum Dilingæ in studijs commoratus ad summum quasi sanctitatis fastigium peruenisset, quadam vice coram Cruce (de qua suprâ) diutissimè ac deuotissimè oranti Angelus cælesti gloria ac splendore præfulgidus apparuit, Domini-que famulum conseruum suum consolatus & affatus, inter reliqua corporis solutionem breuî ei instare edocuit. Quo ex tempore VVILHELMVS solito magis orationi alijsque deuotis exercitijs insistens, ad futuræ mortis agonem velut prouidus palæstrita iam tum se parare incipiebat; vt Sponso

F                      suo

82 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
suo tantis desiderijs amato & quæsito, lam-  
pade pariter ac oleo instructus, obuius pro-  
cedere quantocyùs feliciter posset. Inde et-  
iam sensim peiùs corpore habere, atque in  
lentam ægritudinem delabi cœpit. Quod  
cùm Rothum denuntiatum esset, Præsul  
impensè VVILHELMVM diligens, ma-  
gnamque in eo spem positam habens, à stu-  
dijs auocatum domum redire iussit; vt ibi  
ex morbo leuatus, feliciùs postmodum  
meliusque cœpta studia profèqui posset.  
Sed supremi in cælis terrisque Dictatoris  
nutu (qui famulo suo, ne temporis & ho-  
minum iniquitas ac malitia immutaret cor  
illius, tempus illud fatale & vltimum esse  
volebat) accidit, vt ægritudo semper in de-  
terius laberetur, maioraque in dies augmē-  
tā caperet; & quamuis Medicorum consi-  
lia auxiliaque nequaquam deessent, nihil  
tamen obtineri potuit: frustra nimirum  
humana, ad cursum diuini consilij super sa-  
lute mortalium sistendum, adhibentur.

## C A P V T I I.

### *Exercitia tempore ægritudinis.*

QVAMVIS autem grauibus premere-  
tur doloribus, & lenta tabe corpus  
afflictum deperiret; nihil tamen ille de so-  
lito